

et dat ei convertendi materias. Primo quidem ex hoc ipso quod ei et in fornace ignis tribus pueris sociatus apparuit, tum deinde quod visionem vidi illam quam inter-  
15 pretatus est Daniel, quae vel sola sufficeret etiam lapidea corda mollire. Sed postquam rebus admonitus est, accessit etiam sermonum per prophetam cohortatio; accepit enim et prophetae consilium dicentis: « Propterea, ô rex, consilium meum placeat tibi et peccata tua eleemosynis redime  
20 et iniquitates tuas misericordiis pauperum. Fortassis erit patientia in delictis tuis. » Quid dicis ad haec, vir sapiens et beate? post tantos lapsus est adhuc redditus? « Est, mihi crede, est! Quia et post gravissimam aegritudinem atque in ipso paene mortis confinio redit sanitas et post  
25 desperatam insaniam multi resipiscunt. » Ecce enim, ut supra memoravimus, rex iste babylonius omnes iam sibi aditus salutis excluserat per id quod Deum qui se fecit et ad fastigia regni celsa perduxit, qui sibi caelestia etiam mysteria revelavit, qui futurorum quoque scientiam  
30 dedit et regni totius arcana reseravit, qui magicas, astonomicas, gazarenas caldaicasque praestigias prophetae sui divina interpretatione confudit et ineffabile sacramen-  
tum captivi pueruli sapientissima dissertatione patefecit, ita ut non solum credere summo Deo videretur sed et  
35 in omni orbe Deum Danielis deum verum esse praedicaret, et non solum hunc ipsum negavit post haec sed et in tantam rursus insaniam devolutus est ut servos Dei qui non adorarent imaginem suam in fornacem praecipitaret ignis ardentis. Et tamen ne ibi quidem curae et